



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1725. usque ad annum 1728

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1784

VD18 13322648

§. 45. Judices hac in caussa a Casare deputati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67667)

dum sævierunt, & tamen Magistratus complicatis manibus tam horrenda subditorum crimina intuebatur. Quocirca Abbatis ac Monasterii nomine Joannes Henrichus Souffrein die decima Septembris ad Cæsareo - Aulicum Senatum hanc caussam deferrebat, supplicans, ut tumultuantes citari decerneret, simulque indictis pœnis caveretur, ne ulterius Catholicos offendere præsumerent: Idem quoque Abbas duodecima ejusdem Mensis die porrecto libello rogabat, ut ob urgentissimum in mora periculum maturaretur remedium: Cum autem nondum cessarent infestæ Lutheranorum oppressiones, præfatus Procurator rursus sexto post die apud eundem Senatum pro litis decisione, & demandanda restitutione Ecclesiæ supplicabat, & contra Magistratus responsum reflexiones addens, die vigesima nona Octobris præter decreta jam petita sumptibus Urbis *Commissionem* Cæsaream decerni petebat.

Sæc. XVIII.
A. C. 1727.

§. XLV.

*Judices hac in caussa a Cæsare
deputati.*

Ad humillimas Abbatis & Catholicorum preces Imperator hanc litem
in

Sæc. XVIII.
A. C. 1727

in suo Senatu nullo facto Religionis discrimine juxta genuina causæ merito mature discuti jussit, hancque in rem Commissionem sumptibus utriusque partis communibus decrevit, & die septima Januarii anni sequentis contra hosce Religiosæ ac publicæ pacis perturbatores auctoritate Cæsarea Judices delegavit Electorem Moguntinum, & Brunsvico - Guelpherbitanum Ducem, ad quos, ut vocant, Commissarios sequentes transmisit literas „Sacra Cæsarea Majestas ex annexis actis & relationibus fide dignissimis non sine magno animi mærore percepit, quam scandalosas, & publicæ paci adversas violentias ex Hildesienfibus Civibus nonnulli nuperrime I. sub solempni, quam Abbas ejusque Conventuales Monasterii S. Gotthardi pro veteri more in octava Corporis Christi habuerant, supplicatione exercuerint, & studiose ac ex proposito publicum Religionis Catholicæ exercitium interturbare moliti fuerint. II. Quod Abbatem & Conventum S. Michaelis occasione cujusdam pascui, & factæ ibidem pigmentationis, repigmentationisque per novendecim omnino dies armata manu, & coadunatis hominibus obsederint, ei que immanitate hucusque vix audita cuncta necessaria alimenta in-

terce-

terceperint, ac insuper in Religionem Sæc. XVIII.
 Catholicam non modo sceleratissima A. C. 1727.
 convitia, sed & horrendas blasphemias per Imperii recessus sub capitali
 poena prohibitas plurimasque summo-
 gere temerarias comminationes effu-
 tierint, & hoc ipso sese criminalis ju-
 dicii reos effecerint. Insuper Sacræ
 Cæsareæ Majestati innotuit, quod in
 primo tumultu Magistratus & nomina-
 tim Hofmeisterus Urbis Consul, etsi
 ab hujate Principis celsissimi Regimine
 sæpius fuerit interpellatus, non modo
 in rixæ Authores inquirere neglexerit,
 sed etiam ipsam inquisitionem studiose
 impedierit; in secundo autem tumultu
 etli tempestive de rei successu admo-
 nitus, & promptum remedium oppo-
 nere perimpense rogatus fuisset, ad
 omnia tamen connivere, hosque tu-
 multus, ex quibus tamen facile cæ-
 des, & communis in urbe seditio oriri
 potuisset, complicatis manibus intueri
 voluerit, ac nonnisi vanas protestatio-
 nes opposuerit: Quoniam vero S. Cæ-
 sarea sua Majestas ejusmodi crimino-
 sas, & minime tolerandas violentias
 contra pacem publicam, & Religiosam,
 necnon contra Osnabrugensis pacis &
 Caroli V. criminalia statuta exercitas
 (quicquid de facti substantia sit) im-
 pune abire nec velit, nec possit, sed
 potius

Sæc. XVIII.
A. C. 1727.

potius ejusmodi tumultuantes, pacis-
que perturbatores æque ac ceteros hu-
jus criminis complices non modo ad
præstandam parti læsæ satisfactionem
adigere, sed etiam ad aliorum terro-
rem promeritis pœnis multare neces-
sarium ducat, eapropter Eadem S. Ma-
jestas utrique Domino Commissario in-
jungit, in denunciata pacifragia, ce-
teraque delicta præcipue vero in præ-
cipuos tumultus Auctores, complices,
eosque, qui in despectum totius Reli-
gionis Catholicæ tam blasphema evo-
muerunt convitia, mox & sine ulla
mora exacte ac serio inquirent, & si
opus fuerit, juxta allegatas Imperii
Constitutiones & criminales leges pro-
cedant, ac denique eos, qui de ejus-
modi delictis criminali pœna dignis
post legitimam accusationem suspecti
erunt, tempestive custodiæ dari cu-
rent. Cum autem in comperto sit,
quod Magistratus ea omnia, quæ qui-
vis Superior in ejusmodi eventu, ac
seditionis occasione ex officio opponere
teneretur, non modo prætermiserit,
sed & iterato post factam denunciatio-
nem hunc tumultum sedare, ac in reos
inquirere rogatus suis partibus defue-
rit, hinc Commissarii in Hofmeisterum
Consulem, ceterosque Senatores, qui
hujus tumultus, ac inde exortorum
crimi-

criminum participes erant, pariter severissime inquirant, cuilibet tamen salvo defensionis jure; audiatur etiam quælibet pars ratione satisfactionis tam privatæ quam publicæ, ac denique cuncta utrinque audita conscribantur, & ad S. Cæsaream Majestatem referantur. Hæc vero ab utriusque illustrissimi Commissarii æquitate sibi tantum pollicetur, eos cuncta sine quæsitâ mora & absque effugiis tam celeriter terminaturos, ut Cæsarea sua Majestas quod bonum & æquum, ac Imperii statutis consonum erit, brevi decernere valeat. Interim vero auctoritate Cæsarea procurent, ac sedulo prospiciant, ne novi in urbe tumultus fiant, sed potius cuncta in pace & tranquillitate conserventur. Tandem hæc Commissio instituatur expensis utriusque partis, ita tamen, ut finita lite illi, qui rixæ Auctores extitisse convicti fuerint, innoxie parti expensas factas refundat.

Sæc. XVIII.
A. C. 1727.

Præterea Cæsareo - Aulicum Consilium die nona ejusdem Mensis eos citari jussit, ut declarari percipiant, se incidisse in pœnam fractæ pacis publicæ, Religiosæ & profanæ ad duo millia marcarum auri puri, eisque intimari mandatum de non amplius offendendo, nec molestando aut turbando, sed ordinaria juris

Hist. Eccles. Tom. LXXII. Qq via

Sæc. XVIII. *via non facti procedendo.* Verum Ma-
A. C. 1727. gistratus die quinta Aprilis adversus
 hæc Cæsaris mandata questus Corpo-
 ris, ut vocant Evangelicorum opem
 imploravit, suumque libellum supplicem
 per Saxonizæ Electoris Legatum die
 decima quarta Aprilis Ratisbonæ ob-
 tulit. Hi quidem Magistratus pa-
 trocinium in se susceperunt, in suo ta-
 men libello supplici ad Cæsarem die
 vigesima nona Maij palam declararunt,
 quod *scandalosos Lutheranorum Hilde-*
fensium tumultus, & illicitas, ac bis
iteratas violentias adeo non approbare in-
tendant, ut potius eas omnino detestentur;
& pœna dignas censeant, nec ulli ex iis
patrocinari velint, qui præter necessariam
defensionem jure Divino & humano per-
missam, vel omittendo vel committendo,
dum prohibere potuere, sese hujus violentiæ
participes reddiderunt, aut contra pacem
publicam & Religiosam vel Westphalicam
studiose & notabiliter defecerunt &c.

His præmissis querebantur, quod
 accusationum capita coram Cæsareo Tri-
 bunali exposita Hildesheimensibus Lu-
 theranis non fuerint communicata, proin-
 ipsis nondum auditis tam severa inqui-
 sitio sit decreta, & quidem sumptibus
 utriusque partis, & causa principali
 penitus neglecta: Dolebant insuper,
 non in *Auctores rixæ, tumultus, & tur-*
barum,

barum, sed in solum Magistratum & Cives Lutheranos Cæsarei rescripti ob-
 jurgationes verti, perinde ac si ipsi palam confessi, & jam plane convicti essent. Præterea Brunsvico - Guelpherbitanus Dux, quem Imperator ad hujus causæ discussionem nominabat, jam deprecatoris partes in se suscepit, eo quod Magistratus Cæsareæ Commissionis expensas ferendo impar esset, & de accusationibus, quas Catholici detulissent, certior redditus non fuisset. Verum Imperator insuper habitis ejusmodi querelis die decima septima Augusti edito Cæsareo - Aulico decreto ea, quæ contra Magistratum, & speciatim contra pacis publicæ & Religiosæ perturbatores fuissent statuta, promulgari iussit, eo quod illa Imperii recessibus, juribus & statutis apprime consona essent. Ea vero, quæ Lutherani objectabant, Imperator ad Commissionis iudicium remisit, & Duci rescribi præcepit: Sacræ Cæsareæ Majestati mirum videri, quod Dux Anno 1727. die 30. Augusti datis ad Urbem literis violentias contra Monasterium S. Michaelis attentatas ceu tumultum per Imperii leges damnatum, seditiosum, & severa Cæsaris castigatione dignissimum detestatus esset, nunc vero in eadem prorsus causa Urbis patrocinium

Sæc. XVIII.
 A. C. 1727.

Sæc. XVIII.

A. C. 1727.

in se susciperet, & Commissionem, quæ tamen unicum facti veritatem assequendi medium esset, præpedire conaretur; cum autem omnes, quæ pro tollenda hac Commissione adductæ fuissent, rationes nullius momenti essent, & ejusmodi facta, ex quibus scandalum publicum, & nocivæ prorsus sequelæ ortæ sunt, ex ipsa sua natura inquisitionem in loco delicti necessario deposcerent, hinc Cæsareæ suæ Majestati nil magis esset persuasum, quam Ducem sibi demandatam Commissionem debito obsequio executurum, & intra unius Mensis spatium desuper mentem suam declaraturum, de Cetero Sacra sua Majestas tantum de Ducis æquitate sibi polliceatur, ut expensis, quantum fieri poterit, parceretur. Ambo igitur Commissarii demandatum negotium fideliter prosequerentur, & annexam Urbis defensionem die 22. Aprilis exhibitam sedulo discuterent, ac utriusque partis causam nulla habita Personæ aut Religionis ratione ita examinerent, ut nulla pars æquam querendi causam habeat, denique ita rem terminarent, ut opportunis remediis perniciosissima dissensionum semina eradicentur. firma pax & unitas inter partes reddatur, & ejusmodi violentiis efficaciter præcaveatur.

Quo-

Quoniam vero Magistratus, cives-
 que die vigesima quarta Martii suppli-
 carent, ut Commissionis expensæ eis
 remitterentur, & accusationum capita
 ab Abbatibus & Conventu prolata
 ipsis communicarentur, hinc Cæsareo-
 Aulici Senatus decreto die 7. Januarii
 1729. uterque Commissarius denuo
 monebatur I. ut Commissionem Cæsa-
 ream ad exitum deducere satagerent,
 II. Magistratum & Cives ad expensas
 æqua parte ferendas urgerent, III.
 denique Magistratui querelas contra
 ipsum delatas sine tergiversatione com-
 municarent. — Igitur Commissioni die
 trigesima prima Decembris 1729. da-
 tum erat initium, urbisque Senatori-
 bus præceptum, ut Cives de hoc tu-
 multu accusatos, quoties requireretur,
 coram Commissariis sibi juberent: Se-
 natoribus vero caussantibus, suam au-
 thoritatem ad hæc nimis esse infirmam,
 responderunt Commissarii, si ita essent,
 suis abirent officiis, eaque aliis cede-
 rent, qui Cives in obsequio efficacius
 continere possent, quo audito Senato-
 res polliciti sunt, se effecturos, ut Ci-
 ves, quotiescunque vocati, in Com-
 missione comparerent.

Sæc. XVIII.

A. C. 1727.